



1655

1. Roelich, Gabriel : De certificatione
2. Frommann, Johannes : Hypotyposis juris furiosorum  
singularis
3. Gumbrius, Johannes Sebastianus : De obligationibus in genere
4. Gollerus, Wilhelmus : De praesentione juris  
Tronis
5. Lehmann, Gustavus : De bovario : excute,  
salvum.
6. Schuster, Georgius : De adjecto ad l. 10 ff de solutione  
et liberatione.
7. Schlegius, Francus Albertus : De jecore.

1656

1. Kronegg, Carolus Sigismundus : De jure, maris  
dominus.
2. Capp, Johannes Richardus : De fundo ecclesiastico  
vulgo Kumbstabs - Lehen
3. Commerell, Johannes David : De hereditate fideicommissaria  
familiaris exhibens analysin Nov. 159.



1656

4. Gamsius, Johannes Sebastianus: ~~De~~ De poeni-  
sentia juris, quatenus in contractibus nominatos  
et inominatos incidit.
5. Gamsius, Joh. Sebastianus: De actionibus
6. Gamsius, Johannes Sebastianus: De contractibus in genere.
7. Gamsius, Johannes Sebastianus: De attentatis
8. Guetken, Mauritius Wilhelmus: De fundo legitimo
9. Rehhan, Johannes: De adquirenda vel amittenda possessione
10. Rehhan, Johannes: De expensis litium
11. Rehhan, Johannes: De multa.
12. Schwarzkopf, Corpus: De vindicta privata
13. Tabor, Joh. Otto: De jure cerevisario occasione  
recitationum ad l. 3 C. de commere. et mercatoribus  
suscepta.
1657. Faber, Joh. Christianus: De silentio



1657.

2. Guenther, Johannes Sebastianus: De contractibus in iure
3. Golius, Joh. Adamus: De terminis in iure
4. Gruff, Gottfried: De retentione
5. Lued, Georgius Gellius: De ratihabitione
6. Ribba, Johannes: De instantia Imp. procerum.  
prima
7. Sattlerus, Johannes Theodoricus: De confessio
8. Vambueler, Johannes Ernestus: De concursu delictorum  
in genere

1688

1. Herintuffius, Georgius Samuel: Jocos quaestiones  
ex variis juris capitulis
2. Schallerus, Jacobus: Paradoxon de tortura in Chri-  
stiana republica non exercenda. Rec. 1792.
3. Schuech, Benjamin: De iuribus praediorum.



1658.


4. Taddeluis, Linnæ: 8. peregrinationes vobiscum

5.  
6.  
7.  
8.  
9.  
10.  
11.  
12.  
13.


*[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*













0. 77 non. 7

DISPUTATIO INAUGURALIS

257

CERTIFICATIONE.

IN VITAE ET MORUM

Sept. 18

Pro summi in utroq. Jure Doctoratus


GABRIEL FRÖLICH, Lib.

Typis Joannis ...

M. D. C. C. C.









0. 77 n. 3  
11313. 7  
1656. 4

D. O. M. A.  
DISPUTATIO IVRIDICA  
DE  
POENITENTIA  
JURIS.

Quatenus in contractus nomi-  
natos & innominatos incidit.

*Quam*  
SUB PRÆSIDIO  
DN. JOHANNIS SEBASTIANI  
GAMBSII. U. J. D. ET INSTITUT.  
IMPER. PROFESSORIS, ORDIN.  
Dn. Patroni, Præceptoris ac Promotoris  
sui pie venerandi.

*Ventilandam proponit.*  
Ad diem 26. Martij horis locoq; consuetis.  
IOHANNES GEORGIUS PERDRIX.  
*Montbelgardensis.*



ARGENTORATI.  
Ex Typographéo JACOBI THILONIS,  
ANNO cl. lxx. lvi.





SERENISSIMO AC CELSISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO.

DOMINO LEOPOLDO.  
DUCI WIRTEMBERGICO AC TEC-  
CENSI, PRINCIPI MONTBELGARDENSI,  
DOMINO IN Heydenheimb / HERICURIA  
BLAMONT, CHASTELOT, CLE-  
MONT, &c.

DOMINO ET PRINCIPI SVO  
CLEMENTISSIMO.

HASCE STUDII JURIDICI  
PRIMITIAS.

Humillimæ Subjectionis

ac

æterni obsequii  
testes.

D. D. C.

*Devotissimus atque humillimus*

JOHANNES GEORGIUS PERDRIX,  
Montbelg. A. & R.





D. O. M. A.

Disputatio

DE POENITENTIA JURIS.

Quando & quatenus in contractus tam nominatos, quam innominatos incidit.

Respondente IOHANNE GEORGIO PERDRIX.  
Montbelgardense.

THESIS I.

**D**E Poenitentia Juris acturi, merito ab Etymologia vocis initium faciemus. Cum vero in ea res ipsa praecipue sit spectanda docente Magnif. Dn. D. Tabore Praeceptore meo aeternum colendo, ac pro ingeniorum varietate varia vocabulorum derivationes excogitari soleant, nobis poenitentiae vox cum Erasmo potissimum a post tenendo derivari videtur, maximè si vim atque efficaciam vocabuli spectemus, quippe quae non aliud quam consilij mutationem praese fert. Itaque alijs Etymologijs brevitatis studio omissis, huic tanquam tractatui nostro convenientissimae merito acquiescimus, ad homonymiam declarandam pergentes.

II.

Quae tam late patet, quam longè lateq; omnes actus humani, diffunduntur. Nam aliter à Theologo consideratur, aliter à philosopho, aliter ab homine plebeio, aliter à Jurisconsulto. Sed quoniam nimis longum foret in omnes significationum varietates inquirere, nos eas modo in medium afferemus, quae in jure nostro reperiuntur. Sumitur autem I. Generaliter

A 2

neraliter





212  
generaliter & improprie pro mutato consilio quod in actum deduci non potest, sive id impediatur à lege, sive à facto hominis l. 65. ff. de furt. l. 1. §. 25. ff. depositi. l. 3. C. de Apost. L. 5. C. de oblig. & act. 2. Minus improprie, pro causa quæ dat rō esse pœnitentiæ, ut videre est in act. quanti minoris, redhibitoria, Locati, conducti: 3. Specialiter & in sensu proprio, pro mutatione consilij, quæ in actum deduci potest, & à voluntate libera dependet, l. 3. §. 2. & l. 5. pr. de condict. causa data & c.

### III.

Dicitur alias in jure pœnitudo l. 28. C. de appel. Nov. 87. c. 1. suffragium justæ pœnitentiæ L. 19. pr. de fals. mutata voluntas L. 1. §. 46. pr. ff. depositi, imo etiam suprema pœnitentia l. 32. §. 3. de donat. inter virum & uxorem, Pro verbo pœnitere legitur etiam arbitrium commutare l. 28. C. de app. voluntatem revocare d. l. 32. §. 4. de donat. inter virum & uxor. contra venire & discedere l. pen. C. de pact. recedere à contractu l. 35. de R. I. Haftenus de nomine; sequitur definitio realis.

### IV.

Pœnitentia de qua hic agimus. Est mutatio Consilij prioris in actum deducta, à Libera voluntatis exercitio dependens, quæ permittente lege circa contractus tam nominatos quam innominatos versatur.

### V.

Quamvis vix dividi possit, tamen eas divisiones quas ratio & Doctorum opinio nobis suggeret, in medium adferem⁹ & I. in formalem, quam supra definivimus, & causalem, cui causa dat rō esse: quæ divisio est potius æquivoci in æquivocata, quàm vera divisio 2. In eam quæ versatur vel circa contractus nominatos, vel innominatos, de qua utraq; in his thesibus summus acturi. 3. In eam quæ vel est actoris vel rei. 4. In finitam & infinitam, illa est quæ à lege terminum habet, hæc verò contra, hinc dicitur voluntas hominis ambulatoria usque ad mortem, licet in actum deduci semper non possit.

### VI.

Causa efficiens remota est jus civile Nov. 87. c. 1. Propinqua est intellectus. Proxima est voluntatis exercitium, Proca-  
tarctica est consilium posterius: προηγουμένη est error intelle-  
ctus qui



Etus, qui ab objecto deceptus, errorem suum agnovit, & ab eo se extricaturus, voluntatem impellit, ut aliud consilium amplectatur.

VII.

Materia pœnitentiæ est vel objectiva vel subjectiva; subjectiva sunt personæ & 1. quidem liberæ, quæ nullis obligationibus obstrictæ sunt, licet ipsæ contraxerint, siquidem contractus non efficit ut quis alteri teneatur, sed obligatio. Pac. in Analyti. C. ad l. 5. C. de oblig. 2. Minus liberæ; cum magis & minus non variant speciem, nec faciunt discrimen essentielle, unde non potest inferri quod quis non habeat voluntatem liberam, licet minus liberam, suntque vel jure tales, ut infantia majores, qui sunt vel infantia proximi, hoc est septimum ætatis annum egressi. l. 1. §. 2. de admin. tut. arg. l. 18. C. de jure delib. vel pubertati proximi, quorum tempus arbitrio judicis esse relinquendum censet Philipp. Matth: in com: ad R. I. & quidem ad l. 108. n. 40. & seqq. eod, cum nullum de eo in jure habeamus textum, qui secundum personarum, & regionum circumstantias judicavit, siquidem pro Regula tradatur, quod ex arbitrio Judicis pendere debeat id, quod expresse definitum non est, nec per certam juris rationem ex mente legis decidi potest, uti interpretatur Ulpian. in l. 1. ff. de jur. delib. cui congruit caput. ult. extra de transact. At cum pace tanti viri dicere ausim, hoc assertum confundere potius questionem & rem magis intricatam reddere; quam ut rem præbeat decisam. Nam revera si ego scivero tempus infantia & pubertatis, cur tempus pubertati proximum mihi etjam non compertum erit, at non ignoro quando minus plena pubertas incipiat, uti doceor ex textu l. fin. C. quando tutor esse desinat. l. 5. pr. ff. de testam. l. 2. ff. de vulg. & pup. subst. l. 10. ff. de quest. §. 9. I. de in util. stipul. Unde certum tempus pubertati proximum incipere, in maribus à decimo cum dimidio usq; ad quatuordecim años cõpletos, in fœminis verò ab anno nono & dimidio, usq; ad duodecimum annum gloss. ad §. 9. de inutil. stip. & arg. §. fin. I. Quibus ex causis manumittere non licet nec impedit quod in jure nullum habeamus textum quod verum est si κατὰ γένος non si κατὰ δεικνύουσαν illud asseram? licet enim hi ob voluntatē infirmiore non possint rebus suis ad se obligandum præesse tamen tutore auctore

A 3

omnia.

2

78

Handwritten mark or stamp in the bottom right corner of the page.





omnia gerere possunt; multo ergo magis puberes possunt & minores, vel cum curatoris consensu, si habent, vel si non habent per se & soli; item fatui non ut gloss. pro mente captis explicat, sed ut à lexicis juridicis pro ijs qui intellectum impeditum habent, sumuntur, & idè merito infantia proximis assimilantur, cum afflicto non addenda sit afflictio, vel factio tales id est ubi factum hominis est causa principalis. Hujus ordinis sunt 1. Capite minuti media capitis deminutione quippe cum his nec adimatur jus gentium, ad quod pertinent omnes pene contractus *l. 5. de I. & I. §. 2. I. de jure naturali gentium & civili: nec potestas contrahendi l. 17. in fin. de pœn. adeoque nec pœnitendi.*

### VIII.

Atque hæc quidem personæ sunt, in quas pœnitentia nostra cadit, secus res se habet in sequentibus, nempe in infantibus qui septem annis minores sunt *§. 9. de inutil. stipul.* quia nullam censentur habere voluntatem, cum dari non possunt, pœnitentia autem à voluntate dependet, in furiosis *l. 5. l. 40. de R. I. l. 2. de inoff. test.* in mente captis, prodigis, in procuratoribus & factoribus, nisi voluntas principalis eis manifesto patuerit, in hæredibus, quippe cum voluntas morte finiatur *l. ult. qui sine manum & c. & l. 4. locati.* Ita scilicet ut ipsis pœnitere non liceat, sed si lite contestata mortuus antecessor fuerit, heres illius pœnitentiam bene persequitur, item in omnibus servis per se consideratis, Illi enim in jure civili pro nullis habentur *l. 32. de R. I. & in eis qui monasterium ingressi sunt, cum vita civili mortui esse dicantur, & à negotiis civilibus exclusi Auth. ingressi. C. de S. S. Eccles.* Hinc servi monasteriorum dicuntur *cap. cum olim. extra de privil.* omnes hæc personæ cum negotium gerere nequeant etiam nec possunt pœnitere, siquidem privatio præsupponit habitum. Denique qui acceperunt pecuniam, pœnitere non possunt, quia dato factoque obligantur *l. 7. §. 1. de pact.* Excipitur casus si quis aliquid accepit, ut servum manumitteret & is fugit, quo in casu dominus fuga offensus pœnitere potest *l. 5. §. 3. vers. plane de condict. causa data & c. vel si dans aut faciens recessit à forma contractus d. §. 3. vers. sed si eligat.* Hæc de subiecto sequitur objectum.

IX. Sed



## IX.

Sed antequam ad illud veniamus videndum est quot modis in jure voluntatem mutare non liceat, ut cognito eo, contrarium magis illucescat, juxta *Just. princ. tit. de ijs qui sui vel alieni juris*. Non licet autem pœnitere 1. Ei qui nobis obligatus est *l. 17. §. 3. ff. commodati*, obligationes enim ab initio sunt voluntatis, ex post facto necessitatis *l. 5. C. de obligat. nec ab eis recedere licet, l. 12. C. de contrah. Empt. l. 22. §. 11. ff. mandati*. 2. Si alteri jus sit quæsitum, quia consilium in alterius injuriam mutare non licet *l. 75. de R. l. in fin.* Jus autem illud vel est ad rem, vel in re, quod alteri invito non potest auferri. *l. 11. de R. l. ne quidem summa Principis autoritate, licet jus illud jure civili fuerit quæsitum, nisi justa ad sit causa l. 15. §. pen. de R. V. l. 11. de Evidt.* verbi gratia, utilitatis publicæ, quæ privatæ præferenda est *arg. l. 3. §. 4. ad Sen. Syll. l. 3. C. de primipilo, & tunc eo casu ex publico indemnus servabitur, cum nulla foret æquitas, ut unus pro omnibus damnum sentiat. 3. si res non est integra adeo ut recipiens indemnus servari non possit. 4. Si voluntas secum traxerit executionem l. 35. ff. de condict. in debiti l. 19. de leg. 2.* His præcognitis videndum est quando & quatenus in contractibus nominatis & innominatis tanquam in objecto, pœnitentiæ locus sit. De his primo agemus præmissa regula, quæ sic se habet.

## X.

In contractibus innominatis & his similibus re integra & non integra modo recipientis nihil inter sit à parte dantis licet pœnitere: quia ille non est obligatus, secus autem à parte recipientis, qui debet & tenetur præstare illud, quod promisit vel interesse *l. 5. §. 1. de præscript. verbis*. Cui non obstat *l. ult. ff. de condict. causa data & c. de qua concilianda inf. dicem<sup>9</sup>*. In contractibus verò nominatis non licet pœnitere *l. 5. C. de oblig. & act. & l. 17. §. 2. ff. commod.* Ratio differentiæ ea addi potest, quod nominati magis videantur approbati à jure civili non tantum propter negotium; quod ijs contractibus inest, sed etiam propter elegans nomen, quod à jure civili additum est, ob quod elegantem etiam nec non nominatam producant actionem; at innominati quia nomine carent producant tantum.



67.  
tum generalem obligationem de præscr. verb. & incerti dicuntur *l. certi condictio. ff. si certum petat. l. 1. §. debitum. de constit. pecun.* vid. Cujac. in *l. 7. de pact.* Ab initio acturi sumus de contractibus innominatis. (1.) de contractu do, ut des.

XI.

Qui secundum latitudinem verborum omnem rem, quæ commutatur continet, verum secundum usum juris tantum refertur vel ad merces, vel ad pecunias inter se commutandas, & nihil aliud est quam permutatio in specie sic dicta, quamvis à Doctoribus sic distinguatur, ut nimirum in illa genus cum genere permutetur: in hoc verò contractu species cum specie, si tamen diligentius hæc considerentur, deprehendemus re ipsa hæc negotia convenire, nomine tantum differre, adeoq; non impedit quod permutatio videatur contractus nominatus ut Emptio & venditio, neque enim permutatio nomen est elegans per quod hic contractus revera separetur & distinguatur ab alijs negotijs quippe cum in Empt. vendit: Locato conducto, mutuo, & alijs causis quædam permutatio interveniat, unde nec jus civile hoc negotium dignum putavit, cui specialem & certam aliquam accomodaret actionem, in contractu autem isto re integra solum danti pœnitere licet ut ex thesi superiore constat sive reus in mora sit, sive non, *l. 5. ult. de condict. causa data &c.* cui non obstat *l. pen. C. eod.*

XII.

Alius est contractus do ut facias qui si consistit in facto, quod locari potest, & pecunia numerata intervenit, est locatio conductio & sic transit in contractum nominatum tanquam nobiliorem & firmiorem nec est locus pœnitentiæ, vel res aliqua pecunia numerata intervenit, vel talis res est quæ locari non solet, & locus est pœnitentiæ, quia manet contractus innominatus *l. 5. §. 2. de præscript. verbis*: etiamsi feceris antequam ego dederò vel datum fuerit evictum (sunt enim æquipollentia) tamen non fit contractus facio ut des, cum contractus non dijudicandi sint ex accidenti sed ex essentia & initio. Initium autem est ut des, & tu facias, licet me antevertas in faciendo *l. 22. de præsc. verb.* unde & mihi licebit qui dedi vel debui dare, pœnitere, modo tu indemnis serveris *l. 5. §. 3. de condict. causa data &c.*

XIII.



XIII.

359

Q. 77 num. 3

Circa tertium articulum contractus facio ut des, maxima occurrit difficultas, ex hoc n. omnē civilem actionē dari negat J.C. in d.l. 5. §. 3. & tantum eam quæ de dolo est, concedit, unde nec contractus esse videtur, qui conventio est, habens in se negotium, unde civilis actio nascitur teste Vlp. in l. 15. de prescript. verb. Treutler. part. 11. disp. 30. thes. 10. lit. C. cum Doneil. ibidem allegat. per civilem actionem intelligit condict. causa data &c. sed ea sententia tenori textus contradicit & satis refutatur à Bacchovio ad d.l. Treut. altera est C.I. A. de dolo 0.88. ubi verba de dolo materialiter accipit pro ob dolum, non de actione prætorica & famosa, sed huic sententiæ vehementer obstat l. 16. §. 1. de prescript. verb. l. 4. C. de dolo. quarum legum vigore in eam sententiam adducor ut verissimam credam opinionem distinguētium, an factum tale sit, ut aliqua utilitas redundet ad alterum contrahentium, & tum quia synallagma adest, vix denegari potest actio civilis, quod si nulla utilitas accedit ad adversarium, quoniam Synallagma non apparet, superesse tantum actio de dolo videtur vid. Bacchov. d. loco Dn. Frantz. in parat. de prescript. verb. & in com. eod. Sane cum facta infecta fieri nequeant, in hoc & sequenti articulo frustra de pœnitentia quæritur, si factum merum intelligatur, secus si & factum assumimus quod continet causam bonorum, tunc enim ex ijs quæ dicta sunt facile accomodari etiam ad hos articulos potest respōsio.

XIV.

Vidimus quæstionem an pœnitere quis possit in contractibus innominatis, videamus etiam quando pœnitere possit qui dedit, si alter dare vel facere impediatur. Et sane in hac difficultate eruendâ multum desudarunt Doctores: simplicius dici posse existimo primum omnium distinguendum esse inter actionem prescriptis verbis, quâ agitur vel ad contractum implendum vel ad præstandum id quod interest, & sane hoc in casu si culpa debitoris absit, quominus res præstari possit, liberatur debitor speciei ab actione l. 5. §. 1. de prescript. verb. & inter conditionem causa data, causa non secuta, quoniam ipsa præstatio vel per se & ab initio fuit impossibilis, aut quod idem est contra jus commune l. 15. de cond. Inst. fac. l. 1. de condict. causa data, tum enim quia ad impossibilia nemo obligatur,

3

quod





236  
quod datum est donandi animo datum intelligitur, arg. l. 6. C. de  
condict. ob causam dat. l. 8. C. eod. & ideo nec pœnitentiæ locus  
est §. 1. I. de donat. l. ult. C. de revocandis donat. vel ex accidenti  
factum ut id præstari nequeat, quod contingit cum vel jus sin-  
gulare inhibet præstationem, & datum revocari potest l. 5. C.  
de condict. ob causam dat. vel cum casus fortuitus intervenit &  
hic subdist: an culpa casum præcesserit, & quin simpliciter de-  
tur condictio hæc, causaq; non secuta esse dicatur, nemo est qui  
ambigat l. 3. §. 3. de condict. causa data & c. l. 5. §. ult. eod. l. 8.  
C. d. t. vel casum non præcessit culpa, & tum revera non potest  
agi ex capite cessationis, quæ regularis est, & ordinaria, hujus  
actionis causa, nec tantum in contrahentis persona hæret, sed  
ad heredes est transitoria d. l. 3. §. 3. l. pen. C. de cond. ob causam  
dat. verum ex capite pœnitentiæ locus condictioni manet l. 5.  
d. t. quo in casu vel ex parte accipientis causa integra est, id est  
ejus nihil interest & ante omnia interesse præstandum d. l. 5. per  
tot. l. 1. 2. 3. per tot. de condict. causa data. Et hæc nobis videtur  
esse simplicissima & commodissima hujus difficultatis expli-  
candi ratio, paulo aliter alij, imprimis Magnificus Dominus  
Frantz. in comm. de præscript verbis de cujus explicatione di-  
cere fortè inter disputandum erit occasio.

XV.

Contractus secundum quid, sunt æstimatorius & permutatio, qui quidem ex jure gentium nomē acceperunt, sed jus civile id profufficienti non habuit. Differūt autē à reliquis supra quatuor contractibus, quod aliquod habeant nomen. Sed & in his etjam duobus solū danti re integra licet pœnitere ut latius supra deduximus: Nec impedit quod à contractibus b. f. non liceat recedere l. 3. C. de rescind. vendit. Nam lex loquitur de contractu perfecto & nominato quod ita hic se non habet, cum ante rei traditionem ab utraq; parte non sit contractus perfectus. Item non obstat §. 4. l. 1. de rerum permut. ex quo inferri potest, quod etjam ex parte recipientis possit à contractu recedi; modo id quod accepit reddatur. Quam antinomiam ut conciliemus dicendum illum §. 4. debere restringi ad casum superiorem §. 1. vel vocabulum non, exponi debere per non solū item vocem sed, per sed etiam ut sumitur in l. 5. de servit. præd. urban. adde Pac. in Analys. C. de condict. ob causam dat. n. 31. & in tit. de



tit. de permut. & praescript. verb. n. 7. Nec movet nos Weseemb.  
in n. 9. vers. deniq; de pact. ubi dicit in contractibus ex parte  
recipientis licitum esse poenitere arg. l. 5. §. 3. de cond. causa da-  
ta. Quaeq; opinio in jure parum fundamenti habet, imo rati-  
oni & juri repugnat vid. l. 3. C. de rescind. vendit. l. 39. C. de trans-  
act. & textib. parallelis adde th. 8. Nec magis defendi potest  
quod idem Auctor in n. 7. de transact. tradit, quod si unus ve-  
lit contractum valere, ab utrisque partibus exclusam esse poeni-  
tentiam 1. arg. l. 5. ff. de conditione causa data & c. 2. ob con-  
ventionis exceptionem. Resp. enim ad allegatam l. 5.  
parum eam ad rem facere cum in ea per accipientem non stete-  
rit quo minus daretur aut fieret, sed ob casum fortuitum cuius  
periculum est penes dantem, ad eoque ex capite cessationis recte  
negatur conditio, nec tamen poenitentia excluditur d. l. 5. ibi:  
sed cum poenitere licet. Nec validior erit secunda ratio, quia  
conventionis imperfectae exceptio non datur, nec enim pactum  
dici potest ubi animus paciscendi deest l. 7. §. 14. de pact. l. 1. §.  
3. de V. O. sed ponamus pactum esse, non tamen ex regula, con-  
tra speciales textus argum. licet per. l. 80. de R. I.

XVI.

Addi etiam potest contractibus innominatis, transactio  
que licet ab initio sit pactum, attamen si ipsa actionis remissio  
ut puta factum intervenierit, tum erit contractus innomina-  
tus, & sic à superioribus excipitur, quippe ab eo non licet pror-  
sus recedere, sed ei praecise standum, l. 39. C. de transact. nisi mutuo  
dissensu dissolvatur l. 14. C. eod. Ratio desumitur ex l. 10. & 20.  
C. eod. Nimirum ut lites dirimantur. fac. l. 6. eod. ubi si fides  
placitis praestita non est, in id quod interest, adversa pars recte  
conveniri dicitur, actio vero pristina non redintegratur, cui  
non obstat d. l. 14. & 40. C. eod. Nam in illa l. 6. altera pars  
nunquam à transactione recessit expresse, sed fidem placitis  
non praestitit, id est non praestitit quod se facturum promiserat,  
se tamē facturum esse nunquam negavit, ideo ob moram suam  
ad interesse condemnatur in l. 14. & 40. expresse transactioni  
pars altera contravenit, ideoque penes alterum est, aut resilire  
à transactione, aut actione praescriptis verbis agere in id quod  
interest:



Quibus contractibus innominatis addi potest juramen-  
 tum, tanquam affine: quod triplex est, voluntarium, judiciale  
 & necessarium, ut patet ex Rubrica. ff. de jurej. & licet juramentum  
 in se & formaliter unum sit, tamen illius divisiones peti possunt  
 1. à personis. 2. à rebus, verum quia prima divisio in rubrica posita  
 est, missis alijs, quoniam nostri instituti non est de juramenti prin-  
 cipaliter agere, videbimus quando & vel in voluntario jura-  
 mento poenitere liceat, vel in judiciali & necessario. Quo-  
 ad voluntarium, videtur quod ante praestationem non possit  
 revocari, quia inter partes ita conventum est, ut juretur, sicut  
 ex definitione juramenti voluntarij patet. Nihil enim tam  
 naturali aequitati & fidei humanae congruum est, quam ea quae  
 inter partes placuerunt servare, ut inquit Ulpianus in l. 1. pr. ff.  
 de pact. deinde quia speciem transactionis in se continet l. 2. ff. d.  
 jurejur. at à transactione recedi minimè licitum est. Verum con-  
 trarium videtur decidere l. 5. §. ult. ff. de jurejur. ubi dicitur ex eo quod  
 delatum est, juratum esse, non posse inferri: Si ergo ex delatio-  
 ne non potest inferri juramentum, sequitur transactionis specie  
 in se etiam non continere, quia illa l. 2. loquitur de juramen-  
 to jam praestito & rei judicatae assimilato, nec magis facit lex  
 I. de pact. cum ibi solum ex aequitate naturali pacta sint ser-  
 vanda, non autem ex obligatione civili, quae poenitentiam ex-  
 cludit, secus ergo est, si ex pacto contractu adjecto praestandum  
 veniret, tunc enim in praedictum tertij discedere à conventis  
 non liceret, variae hic & elegantes quaestiones in jure possunt  
 tractari, veluti. I. mulier in pactis dotalibus, quae contra l. 15. C.  
 de pactis l. 5. C. de pactis convent. l. ult. de suis & legit. l. 61. de V. O.  
 l. 3. C. de Collat. renuntiavit haereditati paternae, simul promi-  
 sit juramentum praestare post matrimonium consummatum.  
 Q. An possit poenitere? Responderem quia haec renuntiatio  
 jure civili prohibita est per cap. 2. extra de pactis in 6. non ali-  
 ter approbat quam si juramentum secutum esset ad id pra-  
 standum, contra leges civiles nulla actione teneri, adeoque poe-  
 nitentiae locum esse. Et quid si minor contractum juramento fir-  
 mare promittat secundum Auth. Sacramenta puberum C. si ad-  
 versus vendit. quaeritur, an teneatur? Puto teneri: nec poenitere  
 posse, nisi se laesum ante juramentum praestitum ostendat, quo  
 casu.



casu habet locum beneficium restit. in integr. arg. §. 5. Inst. de hered. qualit. & diff. Sic etiam si mulier renuntiationem Sc. Velleiani juramento firmare stipulata sit, non potest invita parte à placitorum fide discedere arg. l. 3. C. quando ab Empt. l. 5. C. de oblig. & act. Sequitur ut videamus de judiciali in quo usq; ad conclusionem in causa, licet semel pœnitere & ad alium probandi modum transire l. 11. C. de R. C. nam post sententiam quæ in rem judicatã transijt vel in judicio appellatorio corroborata est, amplius pœnitere non licet; dixi licere semel tantum pœnitere, nec enim revocato semel juramento iterum potest pœnitere, quia iniquum esset eum redire ad hoc cui renuntiãdum esse putavit. In necessario, pœnitentia locum non habet, quia ex partis volûtate non pendet. Ergò nec ex voluntatis mutatione, sed novis instrumentis repertis sententia retractari potest. l. 31. ff. de jurej.

XVIII.

Sequitur de contractibus nominatis, qui sunt vel reales, ut mutuum, depositum, commodatum & pignus; quibus addi possunt, arrha & dos, ut adjunctitij, licet improprie, vel consensuales ut mandatum, pro Socio, Emptio & venditio, locatio & conductio, vel verbales, ut stipulatio, vel literales, ut litterarum obligatio t. r. I. de litt. oblig. possent huc referri, Emphyteuticus contractus & libellarius. De realibus init. agendum & quidem i. de mutuo, in quo non licet mutuanti pro lubitu licet gratis dederit, repetere, quia quod officij, est non debet in officij naturam sapere arg. l. 17. §. 1. commod. antiq. Dd. loquuntur statim cum sacco venire, sed potius intentio contrahentium est spectanda, quæ non eo tendit ut mutuum sit fucatum & inutile testante Baldo l. 68. de V. O. sed tempus quo debet reddi, arbitrio judicis est relinquendum. Ex parte vero recipientis licebit quandocunque voluerit reddere, quia mutuantis nihil interest, etiam si stipulatio de usuris fuerit interposita, quæ naturæ mutui videtur repugnare, quod debet esse gratuitum, pactum autem contra naturam rei interpositum nihil operatur, sed licet id sit contra naturam tamen non potest impedire contractum, quia tantum est contra naturam externam, quæ est accidens, non vero contra essentiam, seu naturam internam.



## XIX.

In deposito ex parte deponentis licebit quodcumque voluerit repetere *l. 11. C. deposit.* & licet per pactum tempus adjectum fuerit, tamen illud non impediet, nisi furiosus fuerit, vel deportatus *l. 31. ff. eod.* aut fur deposuerit apud eum, cui furtum commisit, *d. l. Nec impedit l. 1. §. 22.* quia ibi plurimum intererat depositario depositum non reddi, nisi condictione existente, nam alias ut reddat depositum, depositarium deponens habet obligatum, si scilicet sua tantum gratia deposuerit, secus si depositarii etiam gratia: Ex parte vero depositarii distingue hoc modo. Aut tempus fuit adjectum de deposito reddendo, aut non. Priori casu lex pacti servari debet *l. 1. ff. de pact.* Posteriori autem poterit quodcumque voluerit reddere, modo non in continenti fiat, quia res non ut servaretur magis quam restitueretur tradita fuit. Nec impedit illud Ulp. *in l. 5. §. ult. h.* nimirum non posse depositarium officium quod semel suscepit deponere, quippe cum loquatur in casu speciali, & non de deposito vero, sed de sequestratione, quæ est rei litigiosæ, nesciatque depositarius, cui reddere debeat, cum ea conditione accepisse videatur ut nimirum cui adjudicata esset, redderet, & ideo Ulpian. eo casu dicit non debere reddere (siquidem conventioni contraveniret) nisi ex justa causa, nimirum absentia restituere cogere, tunc officium semel susceptum potest deponere.

## XX.

In commodato pœnitentia à parte commodantis regulariter non datur, quia debet sub certo modo & fine commodare, nec modum finem addicere non potest, cum de commodati substantia sit *l. 5. §. 7. l. fin. ff. commodat.* & sic differt à precario *l. 17. §. 3. h.* quibus adjectis non licet retro agere & sic intempestive usum commodatæ rei auferre *d. l. 17. §. 3. eod.* quia ab initio est beneficii & voluntatis, ex post facto vero necessitatis, nisi commodatum commodantis solum gratia factum fuerit, tum enim quia actus ex eius voluntate pendet, & ex eius quoque voluntatis mutatione rectè dissolvitur, ex parte vero commodarii licet semper pœnitere, quia invito beneficium non datur *l. 69. de R. 1. l. 159. §. ult. eod.* modo interesse ejus, in quem beneficium confertur, non alterius, versetur, & solo intuitu beneficii recipientis & quidem directo non secundo & per obliquum contractus sit celebratus.

XXI. In



In pignore nullus est locus pœnitentiæ, ex parte dantis, cum jus creditori quæsitum quod habet in pignore, invito eo non possit auferri ut ex superioribus satis constat, secus ex parte recipientis quia jus suum potest remittere, cum unusquisq; rerum suarum sit moderator & arbiter *l. 21. C. Mandati*: Sed solum tenebitur pignoratitia actione ei qui dedit, si debitum solutum sit vel de eo satisfactum §. *ult. Quibus modis re.* Sane si antequam satisfecerit debitor, dolo malo recepit pignus contraria pignoratitia tenetur. *l. 3. §. ult. ff. de pign. act.* In contractu autem arrharum tanquam adjectio observa, quod si is qui arrhas dedit, à contractu recedere velit, possit quidem pœnitere, sed arrhas amittat *princ. l. de contrah. Emp.* si scilicet datæ fuerint ad probandum contractum perficiendum *l. 35. de contrah. Empt.* Ex parte vero recipientis duplicatas tenetur reddere, in quo duplo simplex comprehensum est. Nam si arrhas simplices solum teneretur restituere, tum nulla æqualitas esset, & ei impune liceret à contractu pro lubitu recedere, secus autem si arrhæ fuerint datæ in pretij defalcationem. Nam tunc non licebit prorsus à contractu recedere *pr. l. de contrahend. Empt. & l. 48. ff. de pact.* sed interesse contractum servare volenti præstandum est, ab eo qui à contractu recedit, *l. 1. ff. de act. Empt.* etiam in arrhis nuptialib. Quod dotem attinet certe danti pœnitere non licet *l. 1. 7. de jure dot.* sed nec maritus exactionem dotis potest omittere in præjudicium mulieris *l. 16. C. de fund. dot. l. 4. eod.*

## XXII.

Inter contractus consensuales est mandatum, in quo quæritur, an pœnitentia locum sibi vindicet: Resp. omnino præsertim si res sit adhuc integra. Tunc enim potest utraq; pars ab illo recedere. Ratio quia contrahentium conventionione alterius interesse nondum incœpit, nec jus alteri est quæsitum, unde potest facile responderi *ad. l. 5. C. de oblig. & action.* videntur nunc quando res integra dicatur, nimirum si nondum perfecta nec initiata sit, vel quando nondum cœperit alterius contrahentium interesse. *l. 8. §. 6. mandati.* Doctores latius distinguunt, loquentes vel de procuratoribus in iudicio constitutis, & dicitur res integra ante litem contestatam, adeo  
ut sine



ut sine causa revocari possit, l. 16. ff. de procur. secus post litem contestatam, quia procurator jam est dominus litis, nisi inter-  
 venerit justa & legitima causa l. 17. eod. vel loquuntur de  
 procuratoribus constitutis ad certa negotia, & res dicitur inte-  
 gra quæ non dum cæpta est, quoad præparamentum substan-  
 tiæ intrinsecum, licet quoad externa & accidentia aliter dici  
 possit. Aut loquuntur de jurisdictione demandata & licet  
 glossa in l. 6. super verbum antequam ff. de Jurisdic. dicat per litem  
 contestationem rem desinere integram esse, tamen Dd. com-  
 muniter concludunt citatione facta, rem ampli<sup>9</sup> integram di-  
 ci non posse, quippe cum sola citatione confirmetur Jurisdi-  
 ctio, eaque in concursu, præventionem inducat,

## XXIII.

In contractu societatis pœnitere licet, quippe cum com-  
 munitio discordias pariat ut in l. 77. §. 20. de leg. 2. adeo ut sit spe-  
 cies servitutis perpetuo socium habere, modo renuntiatio tem-  
 pestive fiat. Nam si intempestive, aut fortè callidè & intuitu  
 insperati lucri advenientis quis renuntiaverit, contra l. 65. §.  
 3. ff. §. 4. Inst. pro soc. eod. tunc ille à se socios quidem liberat ut  
 illi postea sibi solis acquirant, sed ille ab illis non liberatur ut  
 inquit JC. in dicta l. 65. §. 5. & 6. pro socio.

## XXIV.

A contractu locationis & conductionis neutiquam li-  
 cet recedere l. 21. C. h. t. nec à parte locatoris nec condu-  
 ctoris 1. quia est contractus nominatus & utriusque partis in-  
 terest 2. quia est contractus bonæ fidei, consensualis à quo re-  
 cedere minime licitum, per l. 3. de rescind. vendit. Cujac. 8. obs.  
 10. nisi adveniente justa & legitima causa, quam probare & al-  
 legare tenetur is qui à contractu vult recedere. Tunc quidem  
 contractum rescindere licet, verum ea non est pœnitentia de  
 qua in his thesibus loquimur, utpote in qua non opus est cau-  
 sarum allegatione, sed solum  $\tau\delta$  nolle sufficit allegare, legi-  
 bus suffragantibus.

## XXV.

Idem observa in Emptione & venditione perfecta, quia  
 contractus tam Emptorem quam venditorem respicit, ne qui-  
 dem sub arrharum amissione, nisi ex statuto, sed tenebitur is  
 qui à contractu recedit ad interesse arg. l. 28. de act. Empt. ve-  
 rum cum hac sententia videtur pugnare pr. I. de E. V. Resp.  
 disting. in eo §. inter Emptionem quæ fit cum scriptura sive  
 quæ



323  
7  
2  
quæ nondum est perfecta, & quæ nuda voluntate contrahitur, & est perfecta. Priori, casu scriptura ad perfectionem contractus requiritur, & nisi ea interveniat, ac à Tabellione adimpleta sit, à contractu altero invito recedere licet *l. 17. de fide Inst.* quia sub hac conditione ut nimirum scriptura interveniat, cōsens<sup>o</sup> accessisse videtur. Nec obstat quod scriptura faciat solum ad probationem faciliorem *l. 4. de fide Inst.* quia 1. non sunt contraria sed subordinata 2. Non fuit eo casu conventum ut scriptura necessaria foret, sed tantum ut facilius contractus probaretur, cujus scripturæ seu instrumenti amissio, debiti perfectionem non tollit, si de ea aliunde constet. *l. 1. 6. 7. 11. C. de fide Instrument.* idemq; dicendum, si sine scriptura tractatum est de contrahenda Emptione & in fidem tractatus arrha data *d. pr. 1. de contrab. Empt.*

XXVI.

Ut verò consensu contractus perfectus dicatur varia requiruntur, consensus enim iste debet esse 1. verus non simulatus, 2. liber non coactus, 3. de præsentis nō de futuro: cum solū pactum de vendendo nihil inferat, nec errans consentiat, quia nihil magis contrariatur consensui quam error *l. 15. ff. de juridict.* qui committitur quintupliciter: 1. circa personas ipsas, vel personarum qualitates 2. circa sexum 3. circa corpus. 4. circa substantiam, & quidem vel totalem vel partialem. 5. circa nomen, & ejus accidentia. Priori casu Emptio non valet *l. 2. §. 16. pro Empt. l. 15. §. ult. de Contrab. Empt.* secundo casu Emptio fit irrita *l. 11. §. 2. de contrab. Empt. juncta. l. 11. §. 5. de Actione Empt.* tertio casu si circa corpus error committatur, idem observandū *l. 9. pr. de contr. Empt.* quarto casu si circa substantiā totalem, tunc Emptio fit irrita *l. 9. §. 2. l. 14. h.* si vero partialem, tunc valebit Emptio, ut puta si tibi massam plumbeam pro aurea vendidero, cujus media pars solum aurea sit, tunc valebit Emptio, *l. 14. h.* & solum actio quanti minoris Emptori datur adversus venditorem, ut præstet quod deficit *arg. l. 45. h.* vel distingue: an uterque erraverit circa substantiam, vel unus tantum contrahentium, ut priori casu non valeat, secus autem in altero: Si circa nomē error est, emptio valet *l. 9. §. 1. h.* Si circa accidētia, ut si pro vino tibi vendidero acetum, quod vinum fuit, emptio non fit irrita, quia accidens vitiosum rei essentiam non vitiat

C

vitiat



652  
vitiat. 2. Consensus debet versari circa pretium quod esse debet verum, certum, & justum. 3. Circa rem vendendam quæ in commercio esse debet, nec à lege vel homine justè alienari prohibita, vide tamen §. ult. Inst. de contrab. Empt.

XXVII.

In contractu autem feudali secus est, quia invito beneficium non datur vel datum invitus non servat. Nec impedit quod sit contractus nominatus, à quo recedere non licet, ut supra satis ostendimus 2. quod Domini interfit, & tandem. 3. juramentum fidelitatis sit præstitum. Nam ad primam objectionem responderi potest, quod sit specialis casus in feudis, ratio quod vasallus non tam personaliter quam realiter sit obligatus, & sic ob rem & causatorie, non præcise ad servitia teneatur. Ad secundam ita Resp. quod Domini non interfit, cum vasallus feudo renuntiat. Nam alios potest invenire vassallos, cum beneficium, & gratia in feudis plurimum præponderent. Ad tertiam Resp. juramentum non officere quominus à contractu recedere liceat, quia juramentum secundum juris dispositionem, quæ ita se habet, ut nimirum à contractu recedere licitum sit, censeatur esse præstitum. Quod si Domini respectu feudum consideretur dicendum erit à contractu perfecto non posse eum recedere, nisi culpa vasalli intercesserit, *l. 1. f. 24.* quia est contractus nominatus, juris gentium, cujus fallere fidem grave est. Idem observa in conventionem de usufructu constituendo ex titulo liberali.

XXVIII.

In Emphyteusi vero non licet recedere utrique parti, *l. 1. de jure Emphyt.* quia est contractus civilis, nominatus, ubi utriusque interesse versatur, & Emphyteuta ad dandum tenetur. Nec impedit quod possit donare, oppignorare Emphyteusin, & ei servitutum imponere. Quia à separatis argumentatio non valet. Nam Emphyteuta poterit eam donare, sed sine Domini directi detrimento, nec eo invito poterit alienare. Ita nec Dominus pœnitere potest neque etiam si Emphyteuta aliquid commiserit, propria auctoritate expellere eum poterit, per *l. 12. C. de fundo patr.* ne occasio sit majoris tumultus *l. 3. §. 3. de usuf.* sed debet Judicis officium implorare & coram eo actionem suam deducere. In contractu censuali de quo *lex ult. C. de rerum permut.* loquitur.



loquitur, idem observa, quod ab eo recedere non liceat: ut & in libellario & precario de quo est *totus tit. extra de precariis*. quia sibi imputari debet, cur Ecclesie donaverit, & Ecclesia sibi, quod re sua uti passa fuerit: ut & in contractu superficario & litterarum obligationibus.

XXIX.

In contractu autem socidæ & admodiationis, re adhuc integra danti pœnitere licet, quia aliquando incidunt in contractus innominatos in quibus danti permissum est recedere, ut superius planius deduximus, aliquando cum proxime accedant, eodem jure gaudent, nisi quatenus jam & accipientis interest. Secus autem à parte recipientis, quia se obligavit ad dandum vel faciendum ut *in l. 8. C. de pact. & in l. 21. C. locat. & cond.* Nec impedit quod à pactis nudis liceat recedere, eaque nullam pariant obligationem, cum hic non sit pactum nudum, sed obligatio, quod accipientem stringit ad dandum vel faciendum illud de quo conventum est, non necessitate absoluta sed hypothetica, quamvis non immeritò rectius hæc ex jure societatis æstimentur, ad quam proxime accedit hoc pactum, vide Magnif. D. D. Taborem de jure socidæ, c. ult. §. 22.

XXX.

Sequitur fidejussio quæ solet præcedentibus contractibus apponi, & tripliciter considerari potest 1. Si honoris causa quis se velle fidejussorem esse, nec purè denegavit, nec expressè pollicitus est, quin per temporis intervallum possit pœnitere, nulla dubitatio superest, quia multa tractantur quæ non perficiuntur *l. 1. §. 1. ff. de V. O.* nec sufficit colloquia & tractatus probare, nisi & probetur tractatus conclusio, cum vis tractatus & contractus sit in conclusione, vel jactatorie, seu jocosè, promisit se fidejussurum, adhuc tamen potest pœnitere, cum promissio jocosè facta non obliget *l. 3. in fin. ff. de O. & A. 2.* Aut qui promisit fidem suam interpositurum, statim ab initio ducitur pœnitentia, antequam creditori stipulatus sit, & hoc casu si mandatis nihil intersit mandatum impleri, re integra nimirum existente, renuntiare & pœnitere is qui promiserit, poterit per *l. 1. §. 2. quod jussu. in v. mandantis seu debitoris intersit & res amplius non sit integra tunc mandatum seu promissionem implere cogitur l. 27. §. 2. ff. mandati & l. 8. §. 6. eodem*



458  
Et haecenus de constitutore seu intercessore generaliter accepto, non autem de formali fidejussore qui obligatur per stipulationem *l. 12. C. de fidejuss. & 3.* de illo dicitur quod si semel interverit quod amplius poenitere non possit, cum iniquum foret, rem principalem amici, cuius fidem secutus est, decipi beneficio, quod esset contra legem. *in comodato 17. §. sicut tertio ff. comodat.* adeo ut sibi imputare debeat cur fidejusserit, cum contractus ab initio sint voluntatis ex postfacto vero necessitatis, & Seneca recte: priusquam promittas, deliberes, & cum promiseris facias nam risui potius se exponet fidejussor, si post fidejussionem poenituerit, quam sibi consulat, quippe

Consilium post facta, imber post tempora frugum:

XXXI.

Sequuntur nunc sponsalia, quae licet proprie contractus non sint, cum amor conjugalis non sit res promerialis, attamen quatenus consensus intervenit, inter contractus consensuales, licet improprie, referri poterunt, cum per stipulationem olim, hodie vero per pacta celebrentur. Quae considerabimus. Sunt autem 1. vel de praesenti, vel de futuro, De praesenti, cum sint proprie matrimonium respectu initij & vinculi matrimonialis, licet non executionis, regulariter poenitentia non datur, nisi intervenerint causae justae & legitimae, quas brevitate gratia supersedemus recensere & quas poenitentiam non efficere jam supra diximus, quia quod semel placuit ex postfacto non licet revocare, secus autem in sponsalibus de futuro, cum biennio elapso ab ijs impune recedere liceat *l. 1. C. de sponsal. vel arthis sponsalitijs amissis*; hodie non simpliciter id permissum. *vid. c. 2. & t. t. X. de Sponsal.* 2. Vel publicae, vel clandestinae. In publicis rescissio fieri nequit, nisi ex causa & tunc mittitur repudium *t. t. ff. de divort. & repud.* In clandestinis autem, partibus fatentibus & parentum consensu interveniente, valent. *c. 2. de clandest. disp. de spons.* parentum vero consensu non interveniente, ipso jure non valet & igitur ab ijs nos recedere non dicimus; cum ipso jure non valeant nec ab ijs recedi potest, quia omnis privatio praesupponit habitum. Haecenus de contractibus, sequitur forma poenitentiae.

XXXII.

Ea est prioris voluntatis mutatio spontanea *l. 46. de hered. in-*



7

2

77

*red. instit.* quæ provenit ex intellectu melius informato, non vi, metu, fraude, dolo aut impedimento aliquo interveniente voluntatem dirigente ad aliud consilium assumendum: ejusdemque mutationis declaratio, cum in mente retenta nihil operetur *l. 7. C. de condict. ob causam dat.* declarari potest vel verbis vel factis: verbis vel expressis & solennibus, vel tacitis & ambiguis, quæ hic locum non reperiunt, cum debeat is expressius voluntatem suam declarare, tanquam consilio priori contrariam quippe cum contrarium semper præsumatur. Nam præsumptio quæ factum valere & subsistere facit, omnibus alijs firmior & potentior est *l. 12. de rebus dubiis.* & voluntatis mutatio non præsumitur, sed debet probari *l. 22. ff. de probat.* Factis vel veris vel probabilibus: veris, ut si quis socius extra societatem fuerit negotiatus, tunc revera est probatio *l. 64. ff. pro socio.* Probabilibus, quæ solum probationem de jure inducunt, quæ vera & firma tamdiu manet, donec contrarium probetur.

XXXIII.

Finis pœnitentiæ, qui inter causas non immerito ultimum locum obtinet, cum sit posterior in executione, est, vel cujus, vel cui. Finis cujus, est contractus rescissio. Finis cui, pœnitentis idemnitatis. Effectus considerantur vel positivè vel negativè. Negativè ut 1. pacta non servantur, contractus rescindatur. 2. Non licet recedere à posteriore voluntate & parte invita priorem reassumere. Nec obstat *l. 4. ff. de adimend. legat.* ubi dicitur voluntatem usque ad mortem ambulatoriam esse, cum ea tantum in ultimis voluntatibus locum habeat. Nam si liceret posteriorem voluntatem rursus mutare, in infinitum fieret progressus. Infinitas autem in jure vitanda est. *l. 13. §. ult. ff. de damno infect. l. 11. §. 18. de leg. 2. & dominia rerum semper incerta essent, & qui semel voluit nullam amplius injuriam pati videtur l. 9. §. 1. de aq. & aq. pluv. arcenda.* Positive considerari possunt, 1. quatenus jus non solum pœnitenti sed & tertio servatur, ita ut recuperet voluntatem faciendi quicquid deinde placuerit, nam ut fert. *l. 10. de R. I.* secundum naturam esse, ut is qui incommoda sensit etiam commoda sentiat; 2. quatenus datur *condictio caus. dat. caus. non sec.*

C 3

Cujus

Handwritten mark or stamp in the bottom right corner of the page.





## XXXIV.

Cujus actionis effectus possunt etiam considerari positivè, & negativè. Positivè, ut ea quæ dedi vel promisi, l. 4. C. de condict. ob causam dat. condicam & recipiam, ab eo cui dedi; vel promisi, & ab ejus hæredibus, non autem à tertio possessore, quippe ille mihi non obligatus: Negativè, hæc enim datur, si i. causa fuerit turpis & natura impossibilis, non autem ex accidente ut in l. 1. 3. & 5. C. ob causam. dat. ubi iterum disting. num ego scivero causam illam fuisse impossibilè, & tunc non dabitur repetitio, vel ignoravero & eo casu datur conditio, cui non obstat l. 7. de V. O. & §. 10. Inst. inutilibus. stip. ubi dicitur, conditionem impossibilem contractum vitare, siquidem dist. inter conditionem & modum, cui iterum non obstat, l. 8. C. de legat. nam in illa lege legatum non relictum sub modo, sed separatim. 3. Si aliquis casus fortuitus impenderit accipientem, quominus præstare possit, quod promisit, & accipientis jam quanti res est, interesse cœpit, l. 5. ff. de condict. causa data & c. 4. Si servus aufugerit manumittendus, cum accipiens eum venditurus fuisset l. 5. §. 3. d. t. 5. Si ego dero non animo transferendi Dominium l. 3. §. 8. d. t. 6. si aliquid dero, non adjecta conditione certa aut expressa, sed solum sub spe alicujus beneficii l. 7. C. h. 7. si servus de peculio suo quid domino dederit, quia inter dominum & servum omnis actio cessat. 8. Si causa adhuc existere possit antequam dantem pœniteat, in quibus jam dictis, effectus negativi satis apparent.

## XXXV.

Contraria pœnitentiæ vel sunt negativa, ut si quis pactum sive contractum adimplere non potuerit, tunc in totum voluntatem negat, quia quod nunquam gestum fuit, ejus etiam pœnitere nos nequit: vel privativa, ut si alteri tertio jus quæ situm sit, tunc recte dicitur in lege 70. de R. l. non licere mutare voluntatem in alterius damnum & injuriam, nam sibi imputet, quod alteri se obligarit; cum nihil tam naturale sit, ut inquit *Ulpianus*, quam pacta servare: ut renunciatio jam sit intempestiva: ut habetur in l. 14. ff. pro socio. & si vis, dolus, metus, accedunt, nihil etiam possunt operari, nec pœnitentiam inducunt, secus autem in delictis gravioribus, cum nemo ad delictum perpetrandum obligetur nec si velit cogi



326

7

2

lit cogi possit, nec ille metus excusat à pœnâ, licet eam sæpius  
minuat. Item successores meritò inter contraria recensentur,  
cum pœnitentia sit beneficium à voluntate dependens & per-  
sonæ inhærens, defuncti autem voluntas nulla datur.

XXXVII.

Affinia pœnitentiæ sunt 1. pœnitentia, cui causa dat  
esse, ut habemus exemplum in l. 2. C. de rescind. vend. In no-  
stra autem pœnitentia est solū causa procatartica, quia quid-  
quid agimus semper ob aliquam causam agimus. 2. Dissensus  
mutuus, cum nihil tam naturale sit quam ut ea quæ consensu  
facta sunt, dissensu quoq; dissolvantur 3. Distractus ut in o-  
mnibus acceptilationibus. 4. taxatio iudicis quando pars mo-  
dum in iuramento propter litem excessit l. 4. §. 3. de iurejur.  
& hæc de nobilissima juris pœnitentiæ materia, pro ingenij,  
mei tenuitate, & instituti ratione dicta, sufficiant. Quis-  
quis sis candide lector, exiguos hos & immaturos, necdum  
vivido eruditionis calore percoctos, ingenij qualiscunq;  
fructus boni consulito.

Deo Patri & Filio, & Spiritui Sancto, sit Laus &  
gloria in sempiterna secula.

COROLLARIUM.

CUM hac disputatione finita demū mihi inciderit elegās  
ista Q. An & quatenus successor contractū ab antecessore ini-  
tum servare teneatur, per modum corollarij eam propo-  
nere constitui: Heringius merito disputationis gurgitem ap-  
pellat; siquidem multi Doctorum affirmativam: pleriq; ne-  
gativam sententiam simpliciter tenuere, quidam distinxere.  
Affirmantes allegant l. 2. & 3. C. de quadriennij prescript. Cano-  
nem. 4. causa 25. q. 2. Treutlerum. part. 1. disp. 6. Thes. 7. lit. B.  
& c. hac ratione utentem, quia in commutativa iustitia, quæ  
in contractibus servatur, rerum duntaxat non personarum ha-  
betur ratio. Neg: vero: allegant l. 22. §. 1. de adopt. l. 3. vers.  
quæ vero non à patre, ff. de interdict. & relegat. Novella 23. c. 23.  
Geil.

171





Geil. 2. observ. 86. eâ de causâ quia causam non habent ab antecessore, l. 33. de pign. & hypoth. l. 9. C. de fideicom. & etiam Bodinum. I. de Rep. c. 8. Distinguunt quidâ: ut Reinking. lib. 1. class. 7. cap. 10. n. 1. inter leges positivas imperij, & contractus, quæ distinctio parum ad rem præsentem facit, cum nemo ex alieno facto obligetur l. 1. ff. de ll. verum cum Magnifico Domino Tabore malle distinguere, inter successorem absolutum atq; independentem ac inter dependentem vide Bacchovium I. disp. Treutl. 6. thesi. 7. lit. B. Priori casu subdistinguendum est cûDd. cõmuniter an successor succedat vel jure hereditario, vel electivo, priore casu, succedendo se obligat & ad servandum contractum tenetur, posteriori videndum, num contractus spectet solum utilitatem antecessoris privatam, quo casu non tenebitur successor, vel utilitatem publicam, & totius Reip. salutem, & eo casu successor obligatur, item si ratione officiorum & dignitatis celebratus dictus contractus fuerit. De hac quæstione plura dicendi forte inter disputandum dabitur occasio.

F I N I S.





ULB Halle 3  
003 882 810



(f) 5b


KD17











B.I.G.

Farbkarte #13

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

D. O. M. A.  
VTATIO IVRIDICA  
DE  
NITENTIA  
I VRIS.

11313.

1656/4.

us in contractus nomi-  
s & innominatos incidit.

*Quam*

SUB PRÆSIDIO  
ANNIS SEBASTIANI  
L. U. J. D. ET INSTITUT.  
PROFESSORIS, ORDIN.  
ni, Præceptoris ac Promotoris  
fui pie venerandi.

*Ventilandam proponit.*

n 26. Martij horis locoq; consuetis.

ES GEORGIVS PERDRIX.

*Montbelgardensis.*



ARGENTORATI.  
graphéo JACOBI THILONIS,

ANNO cl, lxx. lvi.

